

mus. Si ex eo facto aliquid boni speremus, vocatur *bona conscientia*.

*Pœnitentia* est tristitia ex iudicio nostri facti, quod factum nolimus. Si ex eo facto aliquid mali metuamus, vocatur *mala conscientia*.

*Promptitudo* est lætitia, orta ex iudicio certum quid eligendi ex rebus variis & dubiis.

*Fluctuatio* est tristitia ex eo orta, quod ex rebus variis nullam præ aliis aggredi, vel perficere, vel aggrediendam iudicare queamus.

*Congratulatio* est lætitia, ex iudicio boni ab alio acquisiti vel acquirendi, quod nobis commune censemus.

*Zelotypia* est tristitia ex iudicio boni, ab alio acquisiti vel acquirendi, quod nobis deberi existimamus.

*Lata admiratio* est lætitia, ex iudicio excellentis & rarę in objecto percepto bonitatis orta.

*Tristis admiratio*, est tristitia ex iudicio excellentis & rarę pravitatis nata.

In admiratione spiritus sæpe ita fortiter in partes determinantur, ut partes immotæ ac tensę maneat, hinc ait, Poëta: *Obstupui, steteruntque comæ, vox faucibus hæsit.*

*Læta æstimatio* est lætitia, ex observato magno rei amatæ pretio.

*Tristis æstimatio*, est tristitia ex observato magno rei exosæ pretio.

*Lætus contemptus* est lætitia, ex vili pretio in re exosa observato.

*Tristis contemptus* est lætitia, ex vili in re amata observato pretio.

*Desiderium* est tristitia ex bono amisso, cum recuperandi cupiditate conjuncta.

*Hilaritas* est lætitia ex malo superato.

XXII. *Voluntas* item duos habet affectus: amorem sc. & odium.

*Amor* est rei intellectæ cum voluptate amplexio.

*Odium* est rei intellectæ cum dolore rejectio.

Pro ut autem res intellectæ sunt varię, ita hi affectus variis cupiditatis vel averfationis; simplicis amoris vel odii; amicitia vel inimicitia; benevolentia vel malevolentia; libidinis vel coeundi horroris;

roris;